Beilage 12.

(Aus den Zürcher Manuscripten entlehnt.) (Siehe p. 342.)

Excellentissimo Christianae Ecclesiae Pastori, D. M. Luthero, Patri mihi plurimum observando.

S. Cum Gallos nostros viderem, quotquot a tenebris Papatus ad fidei sanitatem reducti erant, nihil tamen de confessione mutare, ac proinde se polluere sacrilegiis Papistarum, ac si nullum verae doctrinae gustum haberent, temperare mihi non potui, quin tantam sane socordiam, sicuti meo iudicio merebatur, acriter reprehenderem. Qualis enim haec fides, quae intus in animo sepulta, nullam in fidei confessionem erumpit? Qualis religio, quae sub idololatriae simulatione demersa iacet? Verum hic argumentum tractandum non suscipio, quod libellis duobus copiose sum prosequutus, unde si obiter eos adspicere molestum non erit, tum quid sentiam, tum quibus impulsus rationibus ita sentiam, melius perspicies. Horum vero lectione nonnulli ex nostris hominibus expergefacti, cum antea secure dormirent altum somnum, cogitare coeperunt, quidnam sibi agendum foret. Sed quia durum est vel omissa ratione sui vitam exponere periculo, vel, concitatis hominum offensionibus, mundi invidiam subire, vel, relictis fortunis et natali solo, voluntarium adire exilium, his difficultatibus retinentur, quo minus certi quidquam constituti habeant. Alias tamen rationes, et quidem speciosas obtendunt, sed quibus appareat praetextum ab illis qualemcunque quaeri. Caeterum, quia suspensi quodammodo haesitant, tuum iudicium audire desiderant, quod ut merito reverentur, ita illis magnae confirmationis loco erit. Me ergo rogarunt, ut certum nuncium data opera ad te mitterem, qui responsum super hac re tuum ad nos referret: ego vero, quia et ipsorum magnopere interesse putabam, tua authoritate adiuvari, ne sic perpetuo fluctuentur, et mihi ipsi ultro expetendum id fuit, negare illis nolui, quod postulabant. Nunc ergo, Pater in Domino plurimum observande, per Christum te obtestor, hoc ut taedium meâ et ipsorum causâ devorare non graveris, primum, ut Epistolam eorum no-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mine scriptam et Libellos meos, tanquam per lusum, otiosis horis percurras, vel legendi negotium alicui demandes, qui tibi summam referat: deinde, ut sententiam tuam paucis verbis rescribas: invitus equidem facio, ut tibi inter tot tam graves et varias occupationes hanc molestiam exhibeam, sed, quae tua est aequitas, cum non nisi necessitate coactus id faciam, veniam te mihi daturum confido. Utinam isthuc mihi, quo saltem ad paucas horas tuo congressu fruerer, liceret advolare! mallem enim et longe praestaret, non de hac quaestione modo, sed de aliis etiam tecum coram agere: verum, quod hic in terris non datur, brevi, spero, in regno Dei nobis continget. Vale, clarissime vir, praestantissime Christi Minister, ac Pater mihi semper honorande. Dominus te spiritu suo gubernare pergat usque in finem, in commune Ecclesiae suae bonum. 12. Calend. Febr. 1545. *)

Johannes Calvinus Tuus.

(Siehe p. 346.)

Clarissimo Viro, eruditione et virtute praestanti, D. Joanni Calvino, Pastori Ecclesiae Genevensis, pio et fideli Amico suo, charissimo P. Melanchton S. 1545.

Imo vero, Calvine charissime, mihi consilium de me ipso ostendas. Crescit enim hic certamen quod antea defugi. Cumque hactenus parcendum tranquillitati Ecclesiarum in his regionibus feris et horridis senserim, modera-

---

*) Has Clar. A. Tronchin inter schedas abiectas [verba sunt scriptoris ad Patrem p. m. (piae memoriae) anno 1665. 2. Febr.] in Bibliotheca Genevensi olim invenit et tum ex autographo mihi C. Barthol. Wegelino Ministro St. Gallensi describendas communicavit. Herr Joh. Caspar Orelli, Bibliothecar zu Zürch, hat diesen Brief von dem Manuscript in dem Thesaurus Hottingerianus D. 44. p. 347. zu Zürch abgeschrieben. Er erklärt zugleich, daß in Zürch nicht das Autographum Calvins vorhanden ist. Da sich in Genf auch nur eine Copie vorfindet, so scheint das Autographum verloren, ist aber in Genf vorhanden gewesen, wie hier bemerkt worden, daß A. Tronchin inter schedas abjectas in Bibl. Genev. olim invenit et ex autographo communicavit. — Dieses Autographum war nun entweder das von Melanchthon durch Beza zurückgeforderte oder die Abschrift, welche Calvin dem Viret schickte.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tissimeque loquutus sim, nunc duriora a me postulantur. Oro autem te ut me Deo piis votis commendes. D. Martino non exhibui tuam epistolam, multa enim suspiciose accipit: et non vult circumferri suas responsiones de talibus quaestionibus quas proposuisti. Ego utcunque respondi, nec meum judicium antefero tuae et aliorum piorum virorum sententiae. Scio me ἀνεὺ φιλονεικίας versatum esse in negotiis ecclesiasticis, et mediocriter dedisse operam ut multas res involutas evolverem et explicarem. Nunc exilia et alias aerumnas excepto. Bene vale, die quo ante annos 3846 Noë arcam ingressus est, quo exemplo Deus testatus est, se Ecclesiam suam, etiam cum ingentibus fluctibus quassatur, non deserere.

(Siehe p. 351.)

Farello.

Quod nuper consulebas, ut Tigurum me conferrem, ad fratres admonendos: non video quid hoc sit profuturum. Primum nescio quid peccaverint illi: cum nec libros eorum, nec literas unquam legerim, quibus inflammatus est Lutherus. Jam teneo, quid mihi responsuri sint. Jactabunt miram patientiam, qua demulcere hactenus hominem conati fuerint. Nam et Bullingerus ante aliquot menses cum apud me per literas expostularet de Lutheri inhumanitate, suam et suorum lenitatem mirabiliter commendabat. Deinde ut illuc veniam instructus omnibus quae ad causam pertinebunt: ut etiam ipsos contineam, ne quid moneant in posterum: parum hac ratione profecero. Non enim jam ab ipsis est periculum sed a Luthero. Mitigandus ille foret. An hoc extorquebitur a Tigurinis ut suppliciter Lutherum deprecentur? Cavere multo ante oportuit ne camarinam moverent. Sed quis nostrum id potuit praevidere? Ergo Dominum interpellemus, qui unus mederi huic malo potest. Erit certe grave et exitiale incendium. Sed expectemus quis futurus sit finis. Leges quae ad Scnephium scripsi; et Tossano scribes, meas mittere literas tuo judi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf